



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

326. feria 5. de decem attributis Dei

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

572. *Feria 4. Domin. 22. post Pentecost.*
ac sensibilibus ad intelligibilia pervenire,
ibique discursu silente affici 3. Ex una re
cognita, ut ex parte totum, ex contrario con-
trarium cognoscere, ibique intellectu quie-
scere. 4. Veritari circa nosmetipsos, circa San-
ctorum, & totius Ecclesiae virtutes, circa no-
bilitatem Patriae coelestis, circa Christi vitam
& mortem, circa Dei Majestatem, ejusque
attributa, ex infinitis, hic centum deinceps
contemplanda proponuntur, circa quorum
contemplationem B. Borgias suavit S. The-
resiae, ut semper inciperet ab aliqua parte
Passionis Domini, sineret se deinde ferri à
Spiritu. Agitur de Natura Contemplationis
Meditat. 400. plenè.

MEDITATIO CCCXXVI.

Feria 5. Domin. 22. post Pentecost.

De perfectionibus divinis.

Videbo duplices radios Sole clariores, à
Veritate aeterna Dei prodeuntes, quo-
rum uno indicat se, & amatur; altero indi-
cat quemque sibi, & excitat odium proprium
sui. Per a ex perfectionibus divinis agnoscere
Deum, & me, indeque oriri duos affectuum
in me fontes, amorem Dei, & odium mei.

Conf. 1. Quomodo bona omnia, quorum
specie ad peccandum allicimur, in Deo me-
liora reperiantur; & quidem 1. Si melius est
esse,

Feria 5. Domin. 22 post Pentecost. 573

esse, quam non esse, nihil ita est, ut Deus, qui
Est à se. Si me sentio esse, quomodo non
magis Deum? à quo sunt omnia, nisi enim
esset prima causa, res essent, & non essent,
quod repugnat. *Si est Deus à se,* erit igitur
omnis boni origo indefectibilis: Sicut origo
omnis mali est nolle, quod vult Deus, & velle,
quod non vult; hæc tota est peccatoris cor-
ruptio. Verè itaque ait Augustin. Sol. cap. 1.
Quisquis cognoscit Te, diligit Te, se negligit.

2. Nemo quantumvis impius Deum vult
amittere, quem novit esse summum Bonum,
quod omnes necessario appetunt, sed media
repudiant; quia volunt in Deo simul, & in
creaturis delectari, sibi que ipsis mentiuntur
id posse fieri: Quare speciali opus est adju-
torio: *Deus est Adjutor.* Qui vult Deum
habere Adjutorem, obediat ejus Spiritui:
nam Christus ait Ioann. 8. *Ideo Pater non
reliquit me solum, quia, que placita sunt ei,
facio semper.*

3. Omne mirabile gignit æstimationem
sui. *Deus est Admirabilis:* quia admiratio
est, cujus causa latet: causa essetie Dei ipsum
Deum latet, quia ejus nulla est causa, sed ipse
est causa omnium. Si aliquid extra Deum
æstimo, ait D. Nazianz. Orat. 26. *Pretiosum
sercus æstimo*

4. Blanditiæ lascivientium amari volunt
Deus

574 FERIA 6. DOM. 22. post Pentecost.

Deus est *Affabilis*: neque blandus est, quid tuā charitate, ait S. August. 2. Conf. 6. Quid igitur alijs afficior?

5. Superbia celsitudinem imitatur, unus super omnia Deus *Excelsus*, & *Altissimus*, inquit idem: cur ad eum non feror?

6. Sine amore esse non possumus. Omnis amor aut ascendit, aut descendit: desiderio enim bono levamur ad Deum, & desiderio malo ad ima precipitamus, ait S. Augustin. in Ps. 122. Ut amor meus semper sit bonus, semper ascendat ad Deum, qui solus est *Amabilis*.

7. Deus est amans omne bonum, se infinite primo, deinde nos amare non cessat, nisi priores amorem abrumparamus. Quis à te separat, quod diligis? Ait August. lib. 2. Conf. c. 6. & Serm. 60. de Temp. Nullus nos melius, quam ipse Deus diligit, concludit idem, in Psalms. 122. Solus securus placet, qui Deo placet: Deo placet, cui Deus placuerit: sed tibi ille placere non poterit, nisi tu tibi displiceas.

8. Si magis convenit, quod per se, quam quod per aliud convenit, igitur charitati magis convenit amor, quam alijs. Deus est Amor increatus, qui nos etiam inimicos dilexit. Illum amemus, quem amare debitum est, ait S. Paulus Ephel. 4.

9. Artifex opus perfectum efficit, Deus est *Artifex* omnium, O Deus perfice in me

ntcoost. Feria 6. Domin 22. post Pentecost. 579

me rationem viri perfecti expressam in Christo.

10. Tenete potius dilectionem: quia talis quisque est, qualis eius dilectio ait S. Augustin. Tr. in Epist. Ioann. Si me amor Dei facit Deum per participationem, dabit mihi etiam proprietates Dei. Sed Deus est Æternus. Da, ut quomodo tu es Æternus, sic & ego tecum maneam in æternum. Incorruptibile est melius corruptibili.

MEDITATIO CCCXXVII.

Feria 6. Domin. 22. post Pentecost.

De alijs perfectionibus divinis.

Vldebo homines cælo, terræq; inhiantes, cum potius deberent esse famelici Dei: quia, ut ait August. tr. 13. in Ioan. Deus tibi tantum est. Petam solum Deum appetere.

1. Depellenda miseria, & acquirenda beatitudinis causa faciunt omnes homines, quidquid vel boni, vel mali faciunt, ait Aug. in Ps. 32. Deus est Beatus, ipsaque Beatitudo sita in comprehensione & fruitione Dei. Si Deus est felicitas nostra, quid recedenti ab eo erit, nisi miseria? Qui culpam sequitur, à Christo recedit, inquit D. Ambros. L. de Ioseph. c. 3.

2. Gratia debentur beneficio. Non est datus dandis, qui est ingratus datus, ait Aug. tr. 3. in Ioan. Deus est Beneficus, promittitque 2.

Reg. 12.